


Similiter pyramidem formalem tam physice quam mathematice in hunc modum delineamus.



Contractione ergo partium vtriusque pyramidis physicae tam formalis quam materialis per se & in separata sua positione stabunt, vt numero 2. praedictae demonstrationis videre est.

At vero proportio mixtionis vnius pyramidis formalis, videlicet cum materiali, secundum Dei decretum cum loco intersectionis, per quem transit sphaera aequalitatis, indicatur, quoniam in eo loco materia & forma sunt aequales, vti per conformem vtriusque adaptionem declaratur, in figura secunda praedictae demonstrationis.

Videtis ergo rationem dilucide, cur Cabalists angelum vocauerint Alteritatem, videlicet quoniam ex duobus est constitutus, Deum autem Identitatem ac vnitatem, vtpote qui est mere formalis & sibi sufficiens, sine vlllo ad materiam respectu, vnde & respectu istius proprietatis dicitur *Sadai*, hoc est, sibi sufficiens.

At replicabunt Thomas, Damascenus, & alii illius sectae, agnoscimus materiam in Angelis, negamus autem eam materiam esse corpoream, eam enim mere spiritualement esse asseueramus; quibus replicamus, quod stella non sit ideo a corporis nominatione remouenda, quoniam est densior pars spiritus sui circuli, qui spiritus est aethereus, & per consequens, valde tenuis & rarus. Porro etiam corpus vtcunque rarum & inuisibile non magis a corporis legibus est remouendum, quam quod est grossum & visibile: at videmus, stellam esse corpus visibile, densum, anne igitur negandum est, spiritum etiam aethereum esse pariter corpus, licet inuisibile, cum ipsius partium inuisibilium appo-

appo-